

NÚM. XXI  
MAGNA CHARTA

SE REFIERE Á LA NARRACION, LIB. XII, CAP. 22.

Pacto con Juan Sin Tierra.

Ista sunt capitula, quæ barones petunt et dominus rex concedit, signata sigillo Johannis regis.

Post decessum antecessorum, hæredes plenæ ætatis habebunt hæreditatem suam per antiquum relevium exprimentum in Charta.

Hæredes qui infra ætatem sunt, et fuerint in custodia, cum ad ætatem pervenerint, habebunt hæreditatem suam sine relevio et fine.

Custos terræ hæredis capiat rationabiles exitus, et consuetudines, et servitia, sine destructione et vasto hominum, et terrarum suarum. Et si custos terræ fecerit destructionem et vastum, amittat custodiam. Et custos sententiabit domos, vivaria, stagna, molendina, et cætera ad terram illam pertinentia, de exitibus terræ ejusdem. Et ut hæredes ita maritentur, ne disparagentur, et per consilium propinquorum de consanguinitate sua.

Ne viduat det aliquit pro dote sua, vel maritagio, post decessum mariti sui, sed maneat in domo sua per xi. dies post mortem ipsius, et infra terminum illum assignetur ei dos, et maritagium statim habeat, et hæreditatem suam.

Rex, vel ballivus non saisiet terram aliquam pro debito, dum catalla debitoris sufficiant, nec plegii debitoris distringantur, dum capitalis debitor sufficit ad solutionem. Si vero capitalis debitor defecerit in solutionem, si plegii voluerint, habeant terras debitoris, donec debitum illud persolvatur plene, nisi capitalis debitor monstrare poterit, se esse inde quietum erga plegios.

Rex non concedit alicui baroni, quod capiat auxilium de liberis hominibus suis, nisi ad corpus suum redimendum, et ad faciendum primogenitum filium suum militem, et ad primogenitam filiam suam semel maritandam; et hoc facite per rationabile auxilium.

Ne aliquis majus servitium faciat de feudo militis, quam inde debetur.

Ut communia placita non sequantur curiam domini regis, sed assignentur in aliquo certo loco, et tot recognitiones capiantur in eisdem comitatibus, in hunc modum. Ut rex mittat duos justic. per quatuor vices in anno, qui cum quatuor militibus ejusdem comitatus electis per comitatum, capiant assisas de nova dissaisina, morte antecessoris, et ultima præsentatione, nec aliquis ab hoc sit summonitus, nisi juratores, et duæ partes.

Ut liber homo amercietur pro parvo delicto secundum modum delicti, et pro magno delicto secundum magnitudinem delicti, salvo contentamento suo. Vil-

lanus etiam amercietur, salvo vainagio suo. Et mercator eodem modo salva mercandisa, per sacramentum proborum hominum de visneto.

Ut clericus amercietur de laico feodo suo secundum modum aliorum prædictorum, et non secundum beneficium ecclesiasticum.

Ut mensura vini, bladi, et latitudines pannorum, et rerum aliarum, emendetur, et ita de ponderibus.

Ne aliqua villa amercietur pro pontibus faciendis ad riparias, nisi ubi de jure antiquitus esse solebat.

Ut assisæ de nova dissaisina, et de morte antecessoris abbrevientur, et similiter de aliis assisæ.

Ut nullus vicecomes intromittat se de placitis ad coronam pertinentibus, sine coronatoribus: et ut comitatus et undreda sint ad antiquas firmas, absque ullo incremento, exceptis dominicis maneriis regis.

Si aliquis tenens de rege moriatur, licebit vicecomiti vel alio ballivo regis, saisire et imbreviare cattallum ipsius per visum legalium hominum: ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec plenus sciatur si debet aliquod liquidum debitum dominio regi, et tunc debitum domini regis persolvatur; residuum vero relinquatur executoribus, ad faciendum testamentum defuncti. Et si nihil regi debetur, omnia catalla cedent defuncto.

Si aliquis liber homo intestatus decesserit, bona sua per manum proximorum parentum suorum et amicorum, et per visum ecclesiæ distribuantur.

Ne viduæ distringantur ad se maritandum, dum voluerint sine marito vivere: ita tamen quod securitatem faciant, quod non maritabunt se sine assensu regis, si de rege teneant, vel dominorum suorum, de quibus tenent.

Ne constabularius, vel alius ballivus capiat blada, vel alia catalla, nisi statim denarios inde reddat, nisi respectum habere possit de voluntate venditoris.

Ne constabularius possit distringere aliquem militem ad dandum denarios pro custodia castri, si voluerit facere custodiam illam in propria persona, vel per allium probum hominem, si ipse eam facere non possit per rationabilem causam. Et si rex eum duxerit in exercitum, sit quietus de custodia secundum quantitatem temporis.

Ne vicecomes, vel ballivus regis, vel aliquis alius, capiat equos, vel carectas alicujus liberi hominis pro cariagio faciendo, nisi ex voluntate ipsius.

Ne rex, vel ballivus suus capiat alienum boscum, ad castra vel ad alia agenda, nisi per voluntatem ipsius, cujus boscum ille fuerit.

Ne rex teneat terram eorum, qui fuerint convicti de feloniam, nisi per unum annum et unum diem, sed tunc reddatur domino feodi.

Ut omnes Kidelli de cætero penitus deponantur de Tamisia et Medewesi, et per totam Angliam.

Ne breve, quod vocatur *Præcipe*, de cætero fiat alicui de aliquo tenemento, unde liber homo amittat curiam suam.

Si quis fuerit dissaisitus, vel prolongatus per regem sine iudicio de terris, libertatibus et jure suo, statim si restituatur. Et si contentio super hoc orta fuerit, tunc inde disponatur per iudicium xxv baronum, et ut illi, qui fuerint dissaisiti per patrem, vel fratrem regis, rectum habeant sine dilatione per iudicia parium suorum in curia regis. Et si rex debeat habere terminum aliorum signatorum, tunc archiepiscopus et episcopi faciant inde iudicium ad certam diem, appellatione remota.

Ne aliquid detur per brevi inquisitionis de vita, vel membris, sed libere concedatur sine pretio, et non negetur.

Si aliquis tenet de rege per fœdam firmam, per soccagium, vel burgagium, et de alio per servitium militis, dominus rex non habebit custodiam militum de feodo alterius, occasione burgagii vel soccagii, nec debet habere custodiam burgagii, soccagii, vel fœdæ. Et firme, quod liber homo non amittat militiam suam occasione parvarum sergantiarum; sicut de illis, qui tenent aliquod tenementum, reddendo inde cultellos, vel sagittas, vel hujusmodi.

Ne aliquis ballivus possit ponere aliquem ad legem simpliciter loquela sua, sine testibus fidelibus.

Ne corpus liberi hominis capiatur, nec imprisonetur, nec dissaisietur, nec utlagetur, nec exuletur, nec aliquo modo destruat, nec rex eat, vel mittat super eum vi, nisi per iudicium parium suorum, vel per legem terræ.

Ne jus vendatur, vel differatur, vel vetitum sit.

Quod mercatores habeant saluum ire et venire ad emendum, sine omnibus malis tollis, per antiquas et rectas consuetudines.

Ne scutagium, vel auxilium ponantur in regno, nisi per commune consilium regni, nisi ad corpus regis redimendum, et primogenitum filium militem faciendum, et filiam suam primogenitam semel maritandam; et ad hoc fiat rationabile auxilium. Simili modo fiat de tagiis et auxiliis, de civitatibus London et de aliis civitatibus, quæ inde habent libertates; et ut civitas London plene habeat antiquas libertates, et liberas consuetudines suas, tam per aquas quam per terras.

Ut liceat unicuique exire de regno et redire, salva fide domini regis nisi tempore guerra, per aliquod breve tempus, propter communem utilitatem regni.

Si quis mutuo aliquid acceperit a Judeis, plus vel minus, et moriatur antequam debitum illud solvatur, debitor non usurabit quandiu hæres fuerit infra ætatem, de quocumque teneat: et si debitum illud inciderit magnum regis, rex non capiet nisi cattallum, quod continetur in charta.

Si quis moriatur, et debitum debeat Jadais, uxor ejus habeat dotem suam, et si liberi remanserint, provideantur eis necessaria secundum tenementum, et de residuo solvatur debitum, salvo servitio dominorum. Simili modo fiat de aliis debitis, et ut custos terræ reddat hæredi, cum ad plenam ætatem pervenerit, terram suam instauratam, secundum quod rationabiliter poterit sustinere de exitibus terræ ejusdem, de carnis vel wainagiis.

Et si quis tenuerit de aliqua eschaeta, sicut de honore Wallingford, Nottingham, Banen, et Lancastre, et de aliis eschaetis, quæ sunt in manu regis, et sunt baronia, et obierit, hæres ejus non dabit aliud relevium, vel aliud regi servitium, quam faceret baroni, et ut rex eodem modo eam teneat, quo baro eam tenuit.

Ut fines, qui facti sunt pro dotibus, maritagiis, hæreditatibus, et amerciammentis, injuste et contra legem terræ, omnino condonentur, vel fiat inde per iudicium xxv baronum, vel per iudicium majoris partis

eorumdem, una cum archiepiscopo et aliis, quos secum vocare voluerit; ita quod, si aliquis vel aliqui de xxv fuerint in simili querela, amoveantur, et aliis loco illorum per residuos de xxv substituuntur.

Quod obsides et chartæ reddantur, quæ liberata fuerunt regi in securitatem.

Ut illi, qui fuerint extra forestam, non veniant coram justiciis, de foresta per communes summonitiones, nisi sint in placito, vel plegii fuerint; et ut prævæ consuetudines de forestis, et de forestariis, et warrennis, et vic., et rivariis, emendantur per xv milites de quolibet comitatu, qui debent eligi per probos homines ejusdem comitatus.

Ut rex amoveat penitus de Wallia parentes, et totam sequelam Gerardi de Atyes; quod de cætero balliam non habeant, scilicet Engelardum Andr., Petrum et Cyonem de Cancell., Cyonem de Cygon, Mathæum de Martino, et fratres ejus, et Galfrid nepotem ejus, et Philippum de Marbo.

Et ut rex amoveat alienigenas milites, stipendiarios, balistarios, et tutarios, et servientes, qui venerunt cum equis et armis ad nocumentum regni.

Ut rex faciat justic., constabular., vic. et ballivos de talibus, qui sciant legem terræ et eam bene veint observare.

Ut barones, qui fundarunt abbas, unde habeant chartas regum, vel antiquam tenuram, habeant custodiam earum, cum vacaverint.

Si rex Wallenses dissaisierit, vel elongaverit de terris, vel libertatibus, vel de rebus aliis, in Anglia, vel in Wallia, eis statim sine placito reddantur. Et si fuerint dissaisiti, vel elongati de tenementis suis Angliæ per patrem vel fratrem regis sine iudicio parium suorum, rex eis sine dilatione justitiam exhibebit, eo modo quo exhibet Anglicis justitiam de tenementis suis Angliæ secundum legem Angliæ, et de tenementis Walliæ secundum legem Marchiæ. Idem facient Wallenses regi, et suis.

Ut rex reddat filium Lewelini, et præterea omnes obsides de Wallia, et chartas, quæ ei liberata fuerunt in securitatem pacis.

Ut rex faciat regi Scotiæ de obsidibus reddend., et de libertatibus suis, et jure suo, secundum formam quam facit baronibus Angliæ, nisi aliter esse debeat per chartas quas rex habet, per iudicium archiepiscopi, et aliorum, quos secum vocare voluerit.

Et omnes forestæ, quæ sunt afforestatæ per regem tempore suo, desafforestentur, et ita fiat de ripariis, quæ per ipsum regem sunt in defenso.

Omnes autem istas consuetudines et libertates, quas rex concessit regno tenendas, quantum ad se pertinent, erga suos omnes de regno, tam clerici, quam laici, observabunt, quantum ad se pertinent, erga suos.

Hæc est forma securitatis ad observand. pacem, et libertates inter regem et regnum. Barones eligentur, xxv barones de regno quos voluerint, qui debent pro totis viribus suis observare, tenere, et facere observare pacem et libertates, quas dominus rex eis concessit, et charta sua confirmavit. Ita videlicet, quod si rex, vel justic. vel ballivi regis, vel aliquis de ministris suis, in aliquo erga aliquem deliquerit, vel aliquem articulum pacis aut securitatis transgressus fuerit, et delictum extensum fuerit iv baronibus de prædictis xxv baronibus, illi quatuor barones accedent ad dominum regem, et ad justic. suum, si rex fuerit extra regnum, proponentes ei excessum, et petentes ut excessum illum sine dilatione faciat emendari. Et si rex, vel justic. ejus, illud non emendaverit, si rex fuerit extra regnum, infra rationabile tempus determinandum in charta prædicta, iv referent causam ad residuos de illis xxv baronibus; et illi xxv, cum communa totius terræ, distringent et gravabunt regem modis omnibus, quibus poterint, donec fuerit emendatum secundum arbitrium eorum; salva persona domini regis et reginæ et liberorum suorum. Et cum fuerit emendatum, intendant dom. regis,



sicut prius. Et quicumque voluerit de terra, jurabit ad predicta exequenda pariturum mandatis predictorum xxv baronum, et gravaturum regem pro posse suo cum ipsis. Et rex publice et libere dabit licentiam jurandi cuilibet qui jurare voluerit, et nulli unquam jurare prohibebit. Omnes autem illos de terra, qui sponte sua et per se, jurare voluerint xxv baronibus de distringendo et gravando regem, cunctis rex faciet jurare ejusdem de mandato suo, sicut predictum est.

Item si aliquis de predictis xxv baronibus decesserit, vel a patria recesserit, vel aliquo alio modo impeditus fuerit, quo minus ista predicta possit exequi, qui residui fuerint de xxv, eligent alium loco ipsius pro arbitrio suo, qui simili modo erit juratus, quo et ceteri. In omnibus autem, quae istis xxv baronibus committuntur exequenda, si forte ipsi xxv presentes fuerint, et inter se super re aliqua discordaverint, vel aliqui ex eis vocati nolint vel nequeant interesse, ratum habebitur et firmum quod major pars ex eis provideat, vel praecerit, ac si omnes xxv in hoc consensissent; et predicti xxv jurabunt quod omnia antedicta fideliter observabunt, et pro toto posse suo facient observari. Praeterea rex faciet eos securos per chartas archiepiscopi et episcoporum, et magistri Pandulphi, quod nihil impetrabit a dom. papa, per quod aliqua istarum conventionum revocetur, vel minuatur. Et si aliqui tale impetraverint, reputetur irritum et inane, et nunquam eo utatur. *Sine dato.*

*Magna Charta regis Johannis de libertatibus Angliae, A. D. MCCXV. Reg. XVII.*

Johannes, Dei gratia, rex Angliae, etc.

Sciatis, nos, intuitu Dei, et pro salute anime nostrae, et omnium antecessorum et haeredum meorum, et ad honorem Dei, et exaltationem sanctae Ecclesiae, et emendationem regni nostri, per consilium venerabilium patrum nostrorum, Stephani Cantuariensis archiepiscopi, totius Angliae primatis, et sanctae romanae Ecclesiae cardinalis, Henrici Dublinensis archiepiscopi, Petri Wintoniensis, Jocelini Bathoniensis et Glaston, Hugonis Lincolnensis, Walteri Wigornensis, Willielmi, Coventrens, Benedicti Roffens, episcoporum, et magistri Pandulphi, domini papae subdiaconi et familiaris, fratris Emerin magistri, militiae templi in Anglia, et nobilium virorum Willielmi Marescalli comitis Penbroc, Willielmi comitis Sarisberiens, Willielmi comitis Warenne, Willielmi comitis Arundel, Alani de Leveia constabular, Scotiae, Varini filii Gerald, Petri filii Hereberti de Burgo, Senescalli Pictaviae, Hugo de Nevilla, Matth. fil. Hereberti, Thomae Basset, Alani Basset, Philippi de Albania, Roberti de Roppeleia, cobannis Marescalli et Johannis filii Hugonis, et aliorum fidelium nostrorum:

In primis concessisse Deo, et hac praesenti Charta nostra confirmasse, pro nobis et haeredibus nostris in perpetuum, quod anglicana Ecclesia libera sit, et habeat jura sua integra, et libertates suas illasas, et ita volumus observari: quod apparet ex eo quod libertatem electionum, quae maxima et magis necessaria reputatur Ecclesiae anglicanae, mera et spontanea voluntate, ante discordiam inter nos et barones nostros, manifeste notam, concessimus et charta confirmavimus, et eam obtinimus a domino papa Innocentio III confirmari, quam et nos observabimus, et ab haeredibus nostris in perpetuum bona fide volumus observari.

Concessimus etiam et omnibus liberis hominibus regni Angliae, pro nobis et haeredibus nostris in perpetuum, omnes libertates subscriptas, habendas et tenendas eis et haeredibus suis, de nobis et haeredibus nostris.

Si quis comitum vel baronum nostrorum, sive aliorum tenentium de nobis in capite per servitium mi-

litare, mortuus fuerit: et cum decesserit, haeres suus plenae aetatis fuerit, et relevium, debeat, habeat haereditatem suam per antiquum relevium, sc. haeres vel haeres comitis de baronia militis integra, centum marcas: haeres vel haeres militis de feodo militis integro, per centum solidos ad plus: et qui minus debeat, minus det, secundum antiquam consuetudinem feodorum.

Si autem haeres alicujus talium fuerit infra aetatem, et fuerit in custodia, et dominus ejus non habeat » custodiam ejus, nec terrae, suae, antequam homagium » ejus ceperit: et postquam talis haeres fuerit in custodia, et cum ad aetatem pervenerit, sc. viginti et » unius anni, habeat haereditatem suam sine relevio, » et sine fine: ita tamen quod si ipse, dum infra » aetatem fuerit, fiat miles, nihilominus terra remaneat » in custodia dominorum suorum, usque ad terminum » predictum. »

Custos terrae hujusmodi haereditis, qui infra aetatem fuerit, non capiat de terra haereditis, nisi rationabiles exitus, et rationabiles consuetudines, et rationabilia servitia, et haec sine destructione et vasto hominum, vel rerum. Et si nos commiserimus custodiam alicui talis terrae, vicecomiti, vel alicui alii, qui de exitibus terrae illius nobis respondere debent, et ille destructionem de custodia fecerit, vel vastum, nos ab illo capiemus emendam: vel terra committatur duobus legalibus et discretis hominibus de feodo illo, qui de exitibus similiter nobis respondeant, sicut predictum est.

Custos autem, quandiu custodiam terrae habuerit, sustentet domos, parcos, vivaria, stagna, molendina, et caetera de illa terra pertinentia, de exitibus terrae ejusdem. Et reddat haeredi, cum ad plenam aetatem pervenerit, terram suam totam instauratam de curcis, et omnibus aliis rebus, ad minus secundum » quod illa recepit. Haec omnia observentur de custo- » diis archiepiscopatum, abbatiarum, prioratum, » ecclesiarum, et dignitatum vacantium, quae ad nos » pertinent, excepto quod custodiam hujusmodi vendi » non debent. »

Haeres maritentur absque disparagatione; ita tamen, quod antequam contrahatur matrimonium, ostendatur propinquis de consanguinitate ipsius haereditis.

Vidua post mortem mariti sui, statim et sine difficultate aliqua habeat maritium suum, et haereditatem suam; nec aliquid det pro dote sua, vel pro maritio suo, vel haereditate sua, quam haereditatem maritus suus et ipsa tenuerunt, die obitus ipsius mariti; et maneat in capitali messugio mariti sui per xl dies post mortem ipsius mariti, infra quos assignetur ei dos sua, et nisi prius fuerit assignata, vel nisi domus » illa fuerit castrum: et si de castro recesserit, statim » provideatur ei domus competens, in qua possit honeste morari quousque ei dos sua assignetur, secundum quod predictum est, et habeat rationabile » estoverium interim de communi. Assignetur autem ei » pro dote sua tertia pars totius terrae mariti sui, » quae sua fuit in vita, nisi de minore dotata fuit ad » ostium Ecclesiae. » Nulla vidua distringatur ad se maritandum, dum voluerit vivere sine marito; ita tamen quod securitatem faciet, quod se non maritabit sine assensu nostro, si de nobis tenuerit, vel sine assensu domini sui, de quo tenuerit, si de alio tenuerit.

Nos vero, et ballivi nostri, non seisiemus terram aliquam, nec redditum, pro debito aliquo, quamdiu catalla debitoris praesentia sufficiunt ad debitum reddendum, et ipse debitor paratus sit inde satisfacere. Nec plegii ipsius debitoris distringantur, quamdiu ipse capitalis debitor defecerit in solutione debiti, non habens unde reddat, aut reddere nolit cum possit, plegii respondeant debito; et si voluerint, habeant terras, et redditus debitoris, quosque sit eis satisfactum de debito, quod ante pro eo solvitur, nisi capitalis

debitor monstraverit se esse quietum inde versus eosdem plegios.

Si quis mutuo acceperit aliquid a Judaeis, plus vel minus, et moriatur antequam debitum illud non usuret quamdiu haeres fuerit infra aetatem, de quocumque tenet, et si debitum illud inciderit in manus nostras, nos non capiemus nisi cattallum contentum in Charta. Et si quis moriatur, et debitum debeat Judaeis, uxor ejus habeat dotem suam, et nil reddat de debito illo. Et si liberi ipsius defuncti, qui fuerint infra aetatem, remanserint, provideantur eis necessaria secundum tenementum quod fuerit defuncti, et de residuo dominorum. Simili modo fiat de debitis, quae debentur aliis quam Judaeis.

Nullum scutagium vel auxilium ponatur in regno nostro, nisi per commune consilium regni nostri, nisi ad corpus nostrum redimendum, et ad primogenitum filium nostrum militem faciendum, et ad filiam nostram primogenitam semel maritandam; et ad hoc non fiet nisi rationabile auxilium.

Simili modo fiat de auxiliis de civitate Londonensi. Et civitas Londonensis habeat omnes antiquas libertates, et liberas consuetudines suas, tam per terras, quam per aquas.

Praeterea volumus et concedimus, quod omnes aliae civitates, et burgi et villae, et barones de quinque portibus, et omnes portus, habeant omnes libertates, et omnes liberas consuetudines suas, et ad habendum commune consilium regni de auxiliis assidentis, aliter quam in tribus casibus predictis. Et de scutagiis assidentis summoneri facimus archiepiscopos, episcopos, abbates, comites et majores barones regni sigillatim, per litteras nostras. Et praeterea faciemus summoneri in generali, per vicecomites et ballivos nostros, omnes illos qui in capite de nobis tenent, ad certum diem, sc. ad terminum xl dierum ad minus, et ad certum locum et tempus, in omnibus litteris illius summonitionis, causam summonitionis illius exponemus. Et sic facta summonitione, negotium ad diem assignatum procedat, secundum consilium eorum qui praesentes fuerint, quamvis non omnes submoniti venerint.

Nos non concedimus de caetero alicui, quod capiat auxilium de liberis hominibus suis, nisi ad corpus suum redimendum, et ad faciendum primogenitum suum militem, et ad primogenitam filiam suam semel maritandam: et hoc non fiat nisi rationabile auxilium.

Nullus distringatur ad faciendum majus servitium de feodo militis, nec de alio libero tenemento, quam quod inde debetur.

Communia placita non sequantur curiam nostram, sed teneantur in aliquo loco certo.

Praecognitiones de nova disseisina, et de morte antecessoris, et de ultima presentatione, non capiuntur nisi in suis civitatibus, et hoc modo: Nos, vel, si extra regnum fuerimus, capitalis justiciarius noster, mittet duos justiciarios nostros per unumquemque comitatum semel in anno, qui cum » militibus comitatum » tuum capiant in comitatibus assisas predictas et ea » quae in illo adventu suo in comitatibus per justiciarios predictos, ad predictas assisas capiendas missos, terminari non possunt, per eodem terminentur » alibi in itinere suo. Et ea, quae per eosdem propter » difficultatem articulorum aliquorum terminari non » possunt, referantur ad justiciarios de Banco.

Assisae de ultima presentatione ecclesiarum semper capiuntur coram justiciariis de Banco, et ibi terminentur. »

Liber homo non amerietur pro parvo delicto, nisi secundum parvitatem ipsius delicti; et pro magno delicto amerietur secundum magnitudinem delicti, salvo contentamento suo: et mercator eodem modo, salva merchandiza sua: et villanus alterius quam noster, eodem modo amerietur, salvo wannagio suo, si inciderit in misericordiam nostram. Et nulla praedictarum misericordiarum ponatur, nisi per sacra-

mentum proborum et legalium hominum de vicineto comitatus.

Comites et barones non amerientur, nisi per parcos suos, et non nisi secundum modum delicti.

Nulla ecclesiastica persona amerietur, secundum quantitatem beneficii sui, sed secundum laicum tenementum suum, et secundum quantitatem delicti.

Nec villa nec homo distringatur facere pontes ad riparias, nisi qui ab antiquo et de jure facere debent.

Nulla riparia de caetero defendetur, nisi illa quae fuerat in defenso tempore Henrici regis avi nostri.

Nullus vicecomes, constabularius, coronatores vel alii ballivi nostri, teneant placita coronae nostrae.

Omnis comitatus, et hundredi, et wapentaki, et threthingi, sint ad antiquas firmas absque ullo incremento, exceptis dominicis maneriis nostris.

Si aliquis tenens de nobis laicum feodum moriatur, et vicecomes, vel ballivus noster ostendat litteras nostras patentes de summonitione, nostro de debito, quod defunctus nobis debuit; liceat vicecomiti, vel ballivo nostro attachiare et imbreviare catalla defuncti invente in laico feodo, ad valentiam illius debiti per visum legalium hominum: ita tamen quod nihil inde amoveatur, donec persolvatur nobis debitum, quod clarum fuerit: et residuum relinquatur executoribus ad faciendum testamentum defuncti. Et si nihil nobis debeat ab ipso, omnia catalla redeant defuncto, salvis uxori ejus et pueris ipsius rationabilibus partibus suis.

Si aliquis liber homo intestatus decesserit, catalla sua per manus propinquorum parentum et amicorum suorum, per visum ecclesiae, distribuantur, salvis unicuique debitis quae defunctus ei debebat.

Nullus constabularius vel ballivus noster capiat blada, vel alia catalla alicujus, qui non sit de villa ubi castrum situm sit, nisi statim inde reddat denarios, aut respectum inde habeat de voluntate venditoris: si autem de villa ipsa fuerit, infra xl dies pretium reddat.

Nullus constabularius distringat aliquem militem ad dandum denarios pro custodia castri, si ipse eam facere voluerit in propria persona sua, vel per alium probum hominem, si ipse eam facere non possit propter rationabilem causam. Et si nos duxerimus eum, vel miserimus in exercitum, erit quietus de custodia, secundum quantitatem temporis, quo per nos fuerit in exercitu, de feodo pro quo fecit servitium in exercitu.

Nullus ballivus noster vel vicecomes, vel aliquis alius capiat equos, vel caretas alicujus liberi hominis pro cariagio faciendo, nisi de voluntate ipsius liberi hominis » reddat liberationem antiquitus statum: scilicet pro careta ad duos equos, x denarios » per diem; et pro careta ad tres equos, xiv denarios » per diem. Nulla careta dominica alicujus ecclesiasticae personae, vel militis, vel alicujus dominae, capiatur per ballivos predictos. »

Nec nos, nec ballivi nostri, nec alii, capiemus alienum boscum ad castra vel alia agenda nostra, nisi per voluntatem ipsius, cujus boscum ille fuerit.

Nos autem non tenebimus terras illorum qui convicti fuerint de feloniam, nisi per annum et unum diem, et tunc reddantur terrae dominis feodorum.

Omnnes kidelli de caetero deponantur penitus per Thamisiam et per Medewesiam, et per totam Angliam, nisi per costam maris.

Breve, quod vocatu, *praecipe*, de caetero non fiat alicui de aliquo tenemento, unde liber homo perdat causam suam.

Una mensura vini et cervisae sit per totum regnum nostrum; et una mensura bladi, sc. quarterium Londonense.

Et una latitudo pannorum tinctorum et russeccorum, et haubergetorum, sc. duae ulnae infra listas.

De ponderibus vero sit ut de mensuris.

Nihil detur vel capiatur de caetero pro brevi inqui-



sitionis, ab eo qui inquisitionem petit, de vita vel de membris, sed gratis concedatur, et non negetur.

Si aliquis teneat de nobis per feodi firmam, vel per socagium, vel per burgagium; et de alio terram teneat per servitium militare, nos non habebimus custodiam hæredis, vel terræ suæ, quæ est de feodo alterius, occasione illius feodi firmæ, vel socagii, vel burgagii, nec habebimus custodiam illius feodi firmæ, vel socagii, vel ipsa feodi firma debeat servitium militare.

Nos non habebimus custodiam hæredis, vel terræ alicujus, quam tenet de alio per servitium militare, occasione alicujus parvæ serganteriæ, quam tenet de nobis per servitium reddendi nobis cultellos, vel sagittas, vel burgagii, nisi hujusmodi.

Nullus ballivus ponat de cætero ad aliquam legem, nec ad juramentum, simplici loquela sua, sine testibus fidelibus ab hoc inductis.

Nullus liber homo capiatur vel imprisonetur, aut disseisietur, aut utlagetur, aut exuletur, aut aliquo modo destruat de aliquo libero tenemento suo, vel libertatibus, vel liberis consuetudinibus suis, nec super eum ibimus, nec super eum in carcerem mittimus, nisi per legale iudicium parium suorum, vel per legem terræ. Nulli vendemus, nulli negabimus, aut differemus rectum aut justitiam.

Omnes mercatores, nisi publice prohibiti fuerint, habeant saluum et securum exire de Anglia, et venire in Angliam, et morari, et ire per Angliam, tam per terram, quam per aquam, ad emendum vel vendendum, sine omnibus malis tollis, per antiquas et rectas consuetudines, præterquam in tempore guerræ, et si sint de terra contra nos guerrina; et si tales inveniuntur in terra nostra in principio guerræ, attachientur sine damno corporum vel rerum, donec sciatur a nobis, vel a iudicario nostro capitali, quomodo mercatores terræ nostræ tractentur, qui tunc inveniuntur in terra contra nos guerrina; et si nostri salvi sint ibi, alii salvi sint in terra nostra.

Liceat unicuique de cætero exire de regno nostro, et redire, salvo et secure, per terram et per aquam, salva fide nostra, nisi tempore guerræ per aliquod breve tempus propter communem utilitatem regni, exceptis imprisonatis et utlagatis, secundum legem regni, et gente contra nos guerrina, et mercatoribus, de quibus fiat, sicut supradictum est.

Si quis tenuerit de aliqua eschaeta, sicut de honore Walingefordie, Nothingam, Bolonia, Lancastrie, vel de aliis eschaetis, quæ sunt in manu nostra, et sint Baronia, et obierit; hæres ejus non det aliud relevium, nec faciat nobis aliud servitium, quam faceret baroni, si baronia illa esset in manu baronis; et nos eodem modo eam tenebimus, quo baro eam tenuit, « nec nos occasione talis baroniæ vel eschaete habebimus aliquam eschaetam vel custodiam aliquorum hominum nostrorum, nisi alibi tenuerit de nobis in capite ille qui tenuit baroniam vel eschaetam. »

Homines qui manent extra forestam non veniant de cætero coram iustitiariis nostris de foresta per communes summonitiones, nisi sint in placito, vel plegii alicujus vel aliquorum, qui attachiati sunt propter forestam.

Omnes autem bosci, qui fuerunt afforestati per regem Richardum fratrem nostrum, statim deafforestentur, nisi fuerint dominici bosci nostri.

Nullus liber homo de cætero det amplius alicui, vel vendat de terra sua, quam ut de residuo terræ suæ possit sufficienter fieri dom. feudi servitium, ei debitum, quod pertinet ad feudum illud.

Omnes patroni abbatiarum, qui habent chartas regnum Angliæ de advocacione, vel per aliquam antiquam tenuram vel possessionem, habeant earum custodiam cum vacaverint, sicut habere debent, et sicut supra declaratum est.

Nullus capiatur vel imprisonetur propter appellationem femine, de morte alterius quam viri.

Nullus comitatus teneatur de cætero, nisi de mense in mensem; ut ubi major terminus esse solebat, major sit. Nec vicecomes aliquis, vel ballivus suus, faciat terminum suum per Hundredum, nisi bis in anno, et non nisi in loco debito, et consueto, videlicet semel post pascha, et iterum post festum sancti Michaelis. Et visus similiter de Franco plegio tunc fiat ad illum terminum sancti Michaelis sine occasione, ita sc. quod quilibet habeat suas libertates, quas habuit et habere consuevit tempore Henrici regis avi nostri, vel quas postea adquisivit, fiat autem visus de Franco plegio sic, ut pax nostra teneatur, et quod Tethinga integra sic sicut esse consuevit, et quod vicecomes non quarat occasiones, et quod contentus sit de eo, quod vicecomes habere consuevit de viso suo faciendo tempore Henrici regi avi nostri.

Non liceat de cætero alicui dare terram suam domui religionis, ita quod illam resumatur tenendam de eadem domo. Nec liceat alicui domui religionis terram sic accipere, quod tradat eam illi, a quo illam recepit, tenendam. Si quis autem de cætero terram suam sic dederit domui religiose, et super hoc convincatur, donum suum penitus cassetur, et terra illa domino suo illius feudi incurrat.

Scutagium de cætero capiatur, sicut capi tempore regis Henrici avi nostri consuevit; et quod vicecomes non querat occasiones et quod contentus sit de eo quod vicecomes habere consuevit.

Omnes autem consuetudines prædictas, et libertates quas concessimus in regno nostro tenendas, quas ad nos pertinet, erga omnes homines nostros de regno nostro, tam clerici quam laici nostri observent, quantum ad se pertinet, erga homines suos, salvis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, templariis, hospitalariis, comitibus, baronibus, militibus et omnibus aliis tam ecclesiasticis personis quam secularibus, libertatibus et liberis consuetudinibus, quas prius habuerunt. His testibus, etc.

*Libertates verò de foresta, et liberis consuetudinibus que cum libertatibus præscriptis in una schedula pro sua angustia contineri nequiverant, in hac alia charta subscripta complectebantur.*

Johannes, Dei gratiæ rex Angliæ, etc. Sciat quod intuitu Dei et pro salute animæ nostræ et animarum antecessorum et successorum, ad exaltationem sanctæ Ecclesiæ et emendationem regni nostri Angliæ, in perpetuum, spontanei et bona voluntate dedimus, concessimus pro nobis et hæredibus nostris has libertates subscriptas, habendas et tenendas in regno nostro Angliæ in perpetuum.

Imprimis omnes forestæ, quas rex Henricus avus noster afforestavit, videantur per probos et legales homines, et si boscum aliquem alium quam suum dominicum afforestaverit ad damnum illius cujus boscus fuerit, statim deafforestetur. Et si boscum suum proprium afforestaverit, remaneat foresta, salva communia de herbagio et rebus aliis in eadem foresta, illis qui eam prius habere consueverunt.

Homines qui manent extra forestam non veniant de cætero coram iustitiariis nostris de foresta per communes summonitiones, nisi sint in placito vel plegii alicujus, vel aliquorum qui attachiati sunt propter forestam.

Omnes autem bosci qui fuerunt afforestati per regem Richardum fratrem nostrum, statim deafforestentur, nisi fuerint dominici bosci nostri.

Archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, comites, barones, milites et libere tenentes, qui boscos habent in foresta, habeant boscos suos, sicut eos habuerunt tempore primæ coronationis prædicti regis Henrici avi nostri; ita quod quieti sint in perpetuum de omnibus purpresturis, vastis, et assartis, factis in illis boscis post illud tempus usque ad principium secundi anni

coronationis nostræ. Et qui de cætero vastum, purpresturam vel assertum facient sine licentia nostra in illis boscis, de vastis, purpresturis et assartis respondeant.

Regardatores nostri eant per forestas, ad faciendum regardum, sicut fieri consuevit tempore primæ coronationis prædicti regis Henrici avi nostri et non aliter.

Inquisitio vel visus de expeditione canum existentium in foresta, de cætero fiat quando fieri debet regardum, sc. de tertio anno in tertium annum; et tunc fiat per visum et testimonium legalium hominum, et non aliter. Et ille cujus canis inventus fuerit tunc non expeditatus, pro misericordia det III solidos: et de cætero nullus hos capiatur pro expeditione.

Talis autem expeditatio fit per assisam communiter, quod tres ortelli abscondantur de pede anteriori sino poleta. Non expeditentur canes de cætero, nisi in locis ubi expeditari solent tempore primæ coronationis prædicti Henrici regis avi nostri.

Nullus forestarius vel budellus faciat de cætero scotallum, vel colligat garbas, vel avenam, vel bladum aliud, vel agnos, vel porcellos: nec aliquam collectam faciat. Et per visum et sacramentum vi regardatorum quando faciunt regardum, tot forestarii ponantur ad forestas custodiendas, quod ad illas custodiendas rationabiliter viderint sufficere.

Nullum suanimotum de cætero teneatur in regno nostro, nisi ter in anno, videlicet, in principio xv dierum ante festum sancti Michaelis, quando agistatores veniunt ad agistandum dominicos boscos; et circa festum sancti Martini, quando agistatores nostri debent accipere panagium suum. Et ad ista duo suanimota convenient forestarii, viridarii et agistatores et nullus alius per distractionem. Et tertium suanimotum teneatur initio xv dierum ante festum sancti Johannis Baptiste, pro venatione bestiarum nostrarum et ad istum suanimotum convenient forestarii et viridarii et non alii per distractionem. Et præterea singulis xl diebus per totum annum convenient viridarii et forestarii ad videndum attachiamenta de foresta, tam de viridi quam de venatione, per presentationem ipsorum forestariorum, et coram illis attachientur. Prædicta autem suanimota non teneantur, nisi in comitatibus, in quibus teneri consueverunt.

Unusquisque liber homo agistet boscum suum in foresta pro voluntate sua et habeat panagium suum. Concedimus etiam quod unusquisque liber homo possit ducere porcos suos per dominicum boscum nostrum libere et sine impedimento, et ad agilandum eos in boscis suis propriis, vel alibi ubi voluerit. Et si porci alicujus liberi hominis una nocte pernoctarint in foresta nostra, non inde occasionetur, ita quod aliquid de suo perdat.

Nullus de cætero amittat vitam, vel membra pro venatione nostra; sed si aliquis captus fuerit et convictus de captione venationis, graviter redimatur, si habeat unde redimi possit; et si non habeat unde redimi possit, jaceat in prisiona nostra per annum unum et unum diem, et si post annum unum et diem unum plegios invenire possit, exeat e prisiona; sin autem abjuret regnum nostrum Angliæ.

Quicumque archiepiscopus, episcopus, comes vel baro, veniens ad nos per mandatum nostrum, transierit per forestam nostram, licet illi capere unam vel duas bestias per visum forestarii, si præsens fuerit. Sin autem se facit coronari, ne videatur hoc furtive facere. Item licet in redeundo idem eis facere, sicut prædictum est.

Unusquisque liber homo de cætero, sine occasione faciat in bosco suo, vel in terra sua quam habet in foresta, moleninum, vivarium, stagnum, marlerum, fossatum vel terram arabilem, extra coopertum in terra arabili, ita quod non sit ad nocumentum alicujus vicini.

Unusquisque liber homo habeat in boscis suis ærias accipitrum, spervariorum, falconum, aquilarum et

heironum; et habeat similiter mel quod inventum fuit in boscis suis.

Nullus forestarius de cætero, qui non sit forestarius de feudo, reddens firmam nobis pro balliva sua, capiat cheminagium, sc. pro caret per dimidium annum, II denarios et pro equo qui portat sommagium, per dimidium annum obolum et nonnis de illis qui extra ballivam suam, ad buscam meirenum, corticem, vel carbonem emendum, et alias ducendum ad vendendum ubi voluerint. Et de nulla caret alia, vel sommagio, aliquod cheminagium capiatur. Non capiatur cheminagium nisi in locis illis, ubi antiquitus capi solebat et debuit. Illi autem qui portant super dorsum suum buscam, corticem, vel carbonem ad vendendum, quamvis inde vivant, nullum de cætero dent cheminagium. De boscis aliorum nullum detur cheminagium forestariis nostris, præterquam de dominicis boscis nostris.

Omnes utlagati pro foresta, a tempore regis Henrici avi nostri usque ad primam coronationem nostram, veniant ad pacem sine impedimento, et salvos plegios inveniant, quod de cætero non forisfacient nobis de foresta nostra.

Nullus castellanus vel alius teneat placitum de foresta, sive de viridi, sive de venatione; sed quilibet forestarius de feudo attachiet placita de foresta, tam de viridi, quam de venatione, et ea præsentet, viridariis provinciarum: et cum rotulata fuerint et sub sigillis viridariorum inclusa, præsententur capitali forestario, cum in partes illas venerint ad terminandum placita forestæ et coram eo terminentur.

Omnes autem consuetudines prædictas et libertates quas nos concessimus in regno tenendas, quantum ad nos pertinet, erga nostros, omnes de regno nostro, tam laici, quam clerici observent, quantum ad se pertinent, erga suos.

Cum autem pro Deo et ad emendationem regni nostri et ad melius sopiendam discordiam inter nos et barones nostros, hæc omnia concessimus, valentes ea integra et firma stabilitate gaudere, facimus et concedimus securitatem subscriptam, videlicet:

Quod barones eligant xxv barones de regno nostro, quos voluerint, qui debent, pro totis viribus suis observare, tenere et facere observari pacem et libertates quas eis concessimus, et hac præsentis charta nostra confirmavimus; ita sc., quod si per nos vel justitiarium nostrum erga aliquem in aliquo deliquerimus, vel aliquem articulorum pacis vel securitatis transgressi fuerimus et delictum ostensum fuerit iv baronibus de xxv baronibus, illi iv barones accedent ad nos, et ad justitiarium nostrum si fuerimus extra regnum, et proponentes nobis excessum, petent ut sine dilatione faciamus emendari. Et si nos excessum non emendaverimus (vel justitiarium nos si fuerimus extra regnum) inter tempus xl dierum computando a tempore quo monstratum fuerit nobis, prædicti iv barones referent causam illam ad residuos de illis xxv baronibus; et illi barones, cum commune totius terræ, distringent et gravabunt in modis omnibus quibus poterunt, sc. per captionem castrorum, terrarum possessionem et aliis modis quibus poterint donec fuerit emendatum secundum arbitrium eorum; salva persona nostra, et reginæ nostræ et liberorum nostrorum. Et cum fuerit emendatum, intendent nobis sicut prius fecerunt.

Et quicumque voluerit de terra, juret quod ad prædicta omnia exequenda parebit mandatis prædictorum xxv baronum, et quod gravabit nos pro posse cum ipsis. Et nos publice et libere damus licentiam jurandi aulibet, qui jurare voluerit, et nulli unquam jurare prohibebimus.

Omnes autem illos de terra nostra, qui per se et sponte sua voluerint jurare xxv baronibus de distringendo nos et gravando nos cum eis, faciemus jurare eosdem de mandato nostro, sicut prædictum est.

In omnibus autem istis, que xxv baronibus com-